NOS MARIA THERESIA DEI GRATIA ROMANORUM IMPERATRIX, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ REGINA APOSTOLICA; ARCHIDUX AUSTRIÆ, DUX BURGUNDIÆ, SUPERIORIS, ET INFERIORIS SILESIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, MARCHIO SACRI ROMANI IMPERII, MORAVIÆ, BURGOVIÆ, SUPERIORIS, ET INFERIORIS LUSATIÆ, COMES HABSPURGI, FLANDRIÆ, TYROLIS, ET GORITIÆ, LOTHARINGIÆ, ET BARRI DUX; MAGNA DUX HETRURIÆ, &c.

Universis, & singulis fidelibus Stutibus, Incolis, & Subditis, cujuscunque dignitatis, status, gradus, vel officii, qui in universis Ditionibus Nostris Hæreditariis existunt, prout & aliis Exteris, & Alienigenis ad modo fatas hæreditarias Provincias Nostras adventantibus, & in iisdem commorantibus, vel inde alio proficiscentibus, Gratiam Nostram Cæsareo-Regiam, & omne bonum. Quantumvis quidem extranearum justum suum valorem non habentium minoris Monetæ specierum cursus per repetitim emanatas benignas Patentales Literas Nostras quam severissime interdictus, ac etiam in Transgressores per ipsam Confiscationem animadversum fuerit; nihilominus tamen experientia docuit, ejusmodi Coërcitionis, & Inhibitionis Media neutiquam ita efficacia, & salutaria esse, queis malum illud penitus tollatur, & eradicetur; & quod non attentis Inhibitionibus, & Animadversionibus, ulterius etiam Publicum ejusmodi proscriptis, & vetitis Monetis inundetur, e contra autem bona Moneta educatur, ac per id Supremo Terræ Principi, Ejusque Subditis notabile, sensibileque damnum inferatur. Cum itaque occasione per Nos clementer ordinatæ rationum illarum investigationis, ob quas penes nocivam quorundam particularium fœnerationem. Introductio talismodi extranearum minoris Monetæ Specierum isthuc adusque ut plurimum practicata, & promota fuit; inter alia omnino evenerit, quod parte ex una in ipso sufficienti Quanto ejusmodi intranearum in quotidiano minuto Commercio inevitabiliter necessariarum minoris Monetæ specierum defectus adsit, altera vero ex parte, & quidem præcipue, quod moderna intraneæ minoris Monetæ Qualitas, cui quid ex Argento admiscetur, ad id ansam præbeat, ex quo parva illa, & ideo vix noscibilis sub oculum cadens Monetæ Nota, aut figura per communem plebem non ita facile, vel ad minus cum majori difficultate a proscripta extranea Moneta distingui, discernique potest. Ideo ad exemplum etiam aliarum plurium Potentiarum, quæ ex consimilibus rationibus a longa jam annorum serie, cum permagno ipsorum Publici emolumento minoris Monetæ species (vulgo **Schied-Münz** nuncupatas) ex puro Cupro cudi, & addititium illud Argentum, quod penes ejusmodi parva frusla cum tempore perit, longe utilius ad majores, & solidiores species applicari faciunt, etiam Nos clementer decrevimus: ut pariter a modo deinceps non solum in universis Regnis, & Ditionibus Nostris hæreditariis Austriacis, & Bohemicis, verum etiam in antelato Nostro Hungariæ Regno minoris Monetæ species, vulgo (ut supra attactum est) **Schied-Münz** nominatæ, a Crucifero incipiendo, usque ad Denarios inclusive, atque adeo ex omni sorte, utpote: Cruciferis, mediis item, & quadrantibus Cruciferis, seu Denariis, nec non Moneta **Gröschel** dicta, velut vigore Articuli 32° Anni millesimi, septingentesimi, quadragesimi primi, etiam in Regno Nostro Hungariæ cursum habens, & Denariis Hungaricis (quorum quinque unum Grossum efficiunt) ex puro Cupro, nihilominus tamen pro necessitatis duntaxat de tempore in tempus comperiendæ exigentia, neutiquam vero in aliqua majori quantitate cudantur, & ejusmodi Monetæ speciebus valor ille, quem aliæ, addito Argento, Monetæ defacto habent, tribuatur. Ut autem prævio modo desideratus, in faciliori videlicet extranearum ne fors iterum inducendarum, aut aliarum falsarum Cuprearum Monetarum cognitione, & distinctione finis, & effectus eo certius obtineri, & fideles Subditi Nostri ab omni damno, & defraudatione securi reddi possint, benigne ordinavimus, ut in præmemoratarum omnium minoris Monetæ specierum (quarum singula ab infra typis expressa, & denotata habetur) ex puro Cupro, cusione non tantum proportionata Magnitudo, verum etiam quantum possibile, decora forma extrinseca, acrior, solidiorque Monetaria Nota, & debita Figura (vulgo **Rollirung** dicta) addatur, & adhibeatur. In quorum proinde omnium consequentiam ex suprema Potestate, & Authoritate Nostra, qua pleno Jure fungimur, clementer volumus, & jubemus: ut prædeclaratæ Nostræ novæ minoris Monetæ Species (vulgo **Schied-Münz** nominatæ) conformitate alterius penes præspecificatas adhuc cursum suum habituræ intraneæ ejusmodi additiræ Monetæ (seu **legirten Sorten** dictæ) non tantum in universis Cassis Nostris, verum etiam ubivis Locorum, ab omnibus in communi Commercio sine quavis renitentia acceptentur, nihilominus tamen in majorum summarum solutionibus æque ita parum, quam moderna currens minoris Monetæ species erogetur, & expendatur. Cæterum hac occasione priores benignas in Re Monetaria in Anno millesimo septingentesimo quadragesimo sexto emanatas, & publicatas Patentales Literas, prout & omnes alias circa cohibendam, & interdicendam extranearum debitum valorem non habentium Monetæ Specierum Inductionem, & Erogationem interventas generales ordinationes Nostras clementer iterum renovamus, & recapitulamus, eo per expressum superaddito: ut penes hactenus semper statutam, & actu perdurantem Confiscationem, quæ circa minores, viginti quinque florenos videlicet non excedentes Summas Denuncianti, seu Apprehensori in tantum, quantum ex suscipienda in Domibus Nostris Monetariis Colliquefactione valor intrinsecus effectus est, plenarie relinquenda erit, in Transgressores insuper, vel maxime ubi fraus aperte detegeretur, arbitrarie, & pro re comperta corporis, ac etiam mortis pœna irremissibiliter animadvertatur. Veluti etiam in hoc passu benigna, eaque seria Mens, & Intentio Nostra adimplebitur. Dabantur in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriæ die decima sexta Mensis Martii, Anno Domini millesimo septingentesimo sexagesimo primo, Regnorum Nostrorum Hungariæ, Bohemiæ, & reliquorum Anno vigesimo primo.

MARIA THERESIA.

COMES NICOLAUS PALFFY.

JOSEPHUS JABLANCZY.